materiam glutinoſam caſu quodam eſſet omnimode obſtructa, tunc aqua, aer, et ſuccus nutritius ſemper per huiuſmodi foramina aditum inveniant, et ſic nutriri denuò poſſent.

A Fungis glaphyris differunt, quòd hi non videantur in ſubſtantia marina glutinoſa incruſtari, ſed â ramentis lapideis ipſis ab aqua abſterſis.

CLASSIS QUINTA.

Veſicariæ marinæ
Die Meer-Blätterlein-Gewächse.

Sunt Plantæ marinæ propriæ ſpeciei, et â ſemine proprio productæ.

I. Veſicaria marina Ioan. Bauh. ſuperiùs ſubrotunda, et pilæ inſtar convexa. inferiùs verò plana, et in medio foramen habens, quod digitum admittit, et quaſi ad longitudinem digiti penetrat, obſcurè flaveſcens.

II. Veſicaria marina oblonga et ſubrotunda ex leviter flaveſcente albeſcens. Alcyonium marinum ſecundum Dioſcoridis. Merc. p. 98. Favagine Iap.